



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 30. De Neapolitani Regni fatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1432.

perator, civium precibus stimulatus, qui illius auxilium, præsidiumque adversus Florentinos eorum hostes implorabant. Hi quoque omni virium contentione Sigismundum impedire conabantur, ne Romanam ibidem coronam recepturus contenderet; nihilominus illis Pontifex semper benevolum sese exhibuit, donec anno posteriore concordia inita esset.

§. XXX.

De Neapolitani Regni fati.

Temporis, rerumque vicissitudines in Neapolis Regno subortæ infauftum præfagiebant exitum Joanni Carraciolo, supremo Neapolis Senescallo, qui ambitioni suæ modum ponere nescius, perinde ac itidem Rex esset, summum imperium sibi arrogabat. Hic itaque, cum Salernitanum Principatum sibi a Regina denegatum ægerrime ferret, per summam audaciam in verba injuriosa, crebrasque contumelias adversus eam prorupit: sed haud impune; quippe illi, quos sibi alias infensos habebat, hac ejus licentia speciosius suam conspiracyonem tegere studebant, eundemque altera die post celebratas Filii sui nuptias septima decima Aprilis ejusdem anni misere trucidabant. Communior fama ferebat, hanc cædem potissimum conspiracyone Cobellæ Rufæ,

Summon.
l. 4. c. 3.

Marian.
l. 21. c. 5.

conjugis Antonii Mariani Sueffæ Ducis patratam fuisse; Hæc enim apud Regi-
nam, utpote propinquam suam, maxima pollebat auctoritate, eamque consiliis suis obsequentem habebat; quapropter Caraciolum, quem solum Regiæ gratiæ corrivalem timere poterat, implacabili persequeretur invidia. Hinc injuriam, quam ille Reginæ intulerat, in rem suam vertens, inconstantem hujus Reginæ animum dextre adversus illum accendit. Postquam igitur Regina Caraciolum furenti Ducissæ arbitrio reliquisset, illa Reginam derepente apoplexia tactam simulans, eundem vocari jussit, qui rupta omni mora e lecto prorumpens, ad Palatium advolat; verum vix e lecto suo egressus, a conjuratis confoditur. Haud inficiabatur Regina, se homicidii consciam fuisse; quapropter Sicariis facile veniam tribuit, Caraccioli autem bona fisco addixit, infamiæ etiam nota ejus nomini aspersa. Post hæc facta Ludovicus Andegavensis a Regina ante adoptatus, Neapolim reverti, toto studio contendebat; prius enim Caraccioli invidia in Calabriam sub obtentu bellum ibidem gerendi ablegatus fuerat. Ast obstitit Sueffensis Ducissa, quæ ut Reginæ gratiam sibi soli certam redderet, omnem supremi, quod in ejus animum exercebat, imperii æmulum excludere conabatur; accessit etiam, quod Ducissa magis

æcul. XV.
A. C. 1432.

Or. J. meo

Hist. Eccles. Tom. XXVII, E fa-

Sæcul. XV.
A. C. 1432.

faveret Alphonso Arragonum Regi, quem Caraciolus in Siciliam revocavit, spe facta, eum a Regina denuo adoptatum iri. Nec sua eum spes fefellit; quippe Regina adoptionem Andegavensi factam jusque in Neapolis Regno succedendi rescidit, & quam olim Alphonso Arragonia Regi asseruerat, adoptionem innovavit hacque super re publicas tabulas conficijussit, sigillo tamen suo clausas, ne Galis innotescerent.

§. XXXI.

Res Poloniæ.

Crom. l. 10.

Interea Bohemorum Legati in Poloniam ad Ladislaum Regem delati, auxiliis contra Equites Teutonicos in Prussia, qui Polonos assiduis vexationibus, ac bellicis insultibus premebant, pollicentur, nunciantque Regi, Basileensis Synodi Patres valde in eum propensos esse. Igitur Ladislaus hosce Legatos comiter ac magnifice habuit, pariterque Archiepiscopus Gnesnensis, aliique Prælati illos ad Sacrorum communionem admiserunt. Postquam autem Cracoviam pervenerant, mox jussu Sbignei urbis hujus Episcopi in tota civitate divinis interdictum est. Rex hoc facto tantopere in Episcopum exarscescebat, ut etiam comminaretur, eum pari, quam Petrus ejus Prædecessor expertus